INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER HIEMEM ANNI MDCCCLXXIV—LXXV

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARUM

INSUNT

EUANTHIUS ET DONATI COMMENTUM DE COMOEDIA EX RECENSIONE AUGUSTI REIFFERSCHEIDII

TYPIS OFFICINAE UNIVERSITATIS (W. FRIEDRICH)

Commenta de comoedia, quae scholiis Aelii Donati Terentianis anteposita sunt, scaenicarum antiquitatum studiosis haud inutilia, cum corrupta et interpolata uulgo circumferrentur, ex librorum fide emendata separatim hoc loco edere constitui. in qua opera adiutus sum plenissimo apparatu critico, cui colligendo Ludouicus Schopenus, praeceptor de me optime meritus, qui anno 1867 exeunte acerbo fato litteris ereptus est, multos uitae annos impendit.[1]) atque in hac quidem Donati parte Parisino 7920 saeculi XI, qui olim P. Danielis fuit (= *P*), non deficimur: quem librum optimum in commentario Adelphorum uerbis 'modeste additum MEA' (1, 1, 40) finiri constat. neque alius codex, qui quidem litterarum renascentium aetatem superet, in notitiam uirorum doctorum peruenit[2]) praeter eum quem a. 1433 Maguntiae in bibliotheca S. Martini ecclesiae cathedralis Ioannes Aurispa inuenit: cuius nunc deperditi exempla saeculo XV partim manu scripta partim typis expressa supersunt.[3]) quae omnia mirum in modum librariorum et socordia et libidine deprauata sunt, ut scripturis eorum omnibus enotatis magnopere uerendum sit, ne inutili farragine Donatus plane obruatur. tiaque ex eis editionem principem, quae Romae anno 1472 apud Conradum Sweynheym et

[1]) Fr. Umpfenbachius in Terentii sui, qui a. 1870 prodiit, praefatione p. XXXIX queritur, frustra se operam dedisse ut apparatus a uiro docto (Ludovico Schopeno) a. 1867 mortuo congestus usui suo concederetur. quae cum minus accurate dicta essent, meum esse putaui, hac opportunitate oblata uera referre. frustra scilicet a. 1866 a Schopeno iam tum aegrotante petierat, ut sibi ex apparatu quae ad Terentium emendandum pertinerent excerperet. Schopeno mortuo eiusdem rei causa me adiit. ego cum eo ipso tempore domicilium Bonna Vratislauiam transferrem multis negotiis districtus statim ei morem gerere non potui: aestate demum anni 1868 schedas Schopeni, quas eius heredes paschali eiusdem anni tempore fidei meae commiserant, a me in ordinem digestas ipsi obtuli. rescripsit non iam eis se uti posse, cum sero id sibi nuntiatum esset. tum ipse consilium nouae editionis agitare coepi eodemque anno almae uniuersitati Bonnensi semisaecularia celebranti specimen Donati 'a Ludovico Schopeno' qui primus in illa academia doctor renuntiatus erat 'apparatu critico instructi, a me recensiti' dedicaui. quod in publicum non prodiit: continebat autem uitam Terentii et principium Euanthii cum scripturis Parisini 7920 et editionis principis. nunc ad opus diu intermissum redeo.

[2]) certum enim est R. Stephanum in editione Donati adornanda nihil nisi Parisinum 7920 et nouicios libros adhibuisse.

[3]) haec ita se habere librumque Aurispae fontem esse omnium librorum recentiorum docuit Henricus Keilius in indice scholarum Hal. aest. 1870 p. VIII sq.

Arnoldum Pannartz prodiit (= ς)[1]), elegi, ut quae libros manu scriptos integritate longe antecederet. ad eius autem testimonia corrigenda adhibui hos codices nouicios: Parisinum 7921, quem Schopenus contulit, Leidensem et Dresdensem, quos Schopeni in usum Vahlenus excussit; praeterea mihi praesto erant schedae Pithoeanae et Gronovianae a Schopeno excerptae, quarum illis cod. A. Contii[2]) et I. Cuiacii, his cod. Gandaviensis conlatio continetur. his igitur ita usus sum, ut ubi eorum inter se consensu scripturae editioni principi peculiares arguebantur, has sic significarem (ς): quibus locis omnibus codicem Aurispae cum Parisino 7920 conspirasse pro explorato fere habendum est. nonnumquam ipsa testimonia librorum manu scriptorum addidi. qua uia et ratione eo perueni, ut codicem illum deperditum, quoad eius fieri posset, restituerem: ita facile intellectum est eius auxilio, etiamsi Parisino 7920 multo sit inferior, hunc tamen interdum emendari. praeterea, ubi utile uidebatur, uulgatam scripturam ex editione Lindenbrogii a. 1623 adnotaui.

Commentorum de comoedia, quae horum librorum ope emendata proposui, partem priorem Euanthii esse grammatici Constantinopolitani, quem anno 360 obiisse Hieronymus tradit, Lindenbrogius primus intellexit Rufini Antiochensis auctoritate usus. qui in ipso principio commentarii de metris comicorum haec habet[3]): 'Euanthius in commentario Terentii de fabula, hoc est de comoedia[4]), sic dicit "concinna argumento consuetudini congrua utilis sententiis grata salibus apta metro" (= p. 5, 17 sq. editionis huius). et postea sic "ueteres etsi ipsi quoque in metris neglegentius * [5]) iambici uersus dumtaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio uincuntur resolutione huius metri quantum potest comminuti ad imaginem prosae orationis" (= p. 6, 9 sqq.).' iam cum nouum commentum de comoedia his uerbis 'comoedia est fabula' (p. 8, 4) incipiat, uiri docti hoc ipsius Donati esse recte conclusisse uidentur, praesertim cum Hermannus Vsenerus[6]) etiam in ipsis scholiis duorum commentariorum confusionem deprehenderit. ego tamen ipsa scriptorum nomina addere nolui, quod incertum mihi uidebatur esse, utrum uerba 'illud uero tenendum est ... cognitione gestorum' (p. 7, 7 ... 8, 3), quae omnino nihil cum superioribus cohaererent, Euanthio an alii tribuenda essent.

---

[1]) cf. Ritschelius in commentario in uitam Terentii, quem editioni meae Suetonii adiunxit, p. 483. nouam editionis principis conlationem Henrici Brunnii amicitiae debeo. orthographiam eius et codicum nouiciorum non curaui: Parisini uero 7920 omnes scripturas ex conlatione Schopeni exhibui, qui quidem in orthographicis minus attentus fuisse uidetur.

[2]) hic aut ipse Parisinus 7920 aut apographum eius fuit.

[3]) Keilii beneficio haec testimonia ex Rufini editione noua, quae sub prelo est, exhibere potui.

[4]) uerba 'hoc est de comoedia' a posteriore grammatico adscripta esse Keilius putat.

[5]) 'egerunt' in codicibus Rufini omissum est: in editione principe 'usi' post 'etsi' additum est.

[6]) mus. Rhen. nov. XXIII 495.

Initium tragoediae et comoediae a rebus diuinis est inchoatum, quibus pro fructibus uota soluentes operabantur antiqui. namque incensis iam altaribus et admoto hirco id genus carminis quod sacer chorus reddebat Libero patri tragoedia dicebatur uel *ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς* hoc est ab hirco hoste uinearum et a cantilena, cuius ipsius rei etiam apud Virgilium plena fit mentio, uel quod hirco donabatur eius carminis poeta uel quod uter eius musti plenus sollemne praemium cantoribus fuerat uel quod ora sua faecibus perlinebant scaenici ante usum personarum ab Aeschylo repertum; faeces enim Graece dicuntur *τρύγες*. et his quidem de causis tragoediae nomen inuentum est. at uero nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum Apollini *Νομίῳ* uel *Ἀγυιεῖ θεῷ* id est pastorum uicorumue praesidi deo instructis aris in honorem diuinae rei circum Atticae uicos uillas pagos et compita festum carmen sollemniter cantaretur, *ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς* comoedia uocitata est ut opinor a pagis et cantilena composito nomine uel *ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν*, quod est comessatum ire cantantes: quod a potis sollemni die uel amatorie lasciuientibus choros comicos repertos non absurdum est. itaque ut rerum ita etiam temporum ordine tragoedia primo prolata esse cognoscitur. nam ut ab incultu ac feris moribus paulatim peruentum est ad mansuetudinem urbesque

---

1 comediae *P* incoatum *P* 2 nam ς hyrco *P* 3 tragedia *P* 4 *καὶ τῆς ᾠδῆς om* ς *OΔHC P* est *om P* cuius] eius ς 5 etiam *om* ς Virgilium] *georg.* 2,380 6 sollempne *P* premium *P* cantatoribus *P* erat *Schopenus* 7 fecibus *P* perlinibant (ς) signici *P* escilo *P* foeces *P* 8 Graece *om* (ς) triges *P* de *add Schopenus* est inuentum ς 9 uel *Ἀγυιεῖ θεῷ om* ς *Ἀγυιεῖ θεῷ scripsi: AFTAΘω P* Agyieo *Lindenbrogius* 10 uicorumue *Schopenus:* uicinorumue ς uicinorum *P* praesidi *om P* constructis ς 11 festiuium *P* sollempniter *P* cantarent ς *ἀπὸ τῶν* . . . 13 *ᾄδειν*] orta (id *libri mss rec*) est comoedia *ἀπὸ τοῦ κωμάζειν reliquis omissis* ς *AΠA P* 12 *ΩAe P* comedia *P* composcit *P* 13 *ἀπὸ*] ulω *P* *ᾄδειν*] *NAEIN P* 14 a potis *scripsi:* a poetis *P* appontis (ς) sollempni *P* choros comicos *scripsi:* choris comicis *P* ς 15 reperto ordine *P* ipsorum coepto ordine (ς) reperto *in* repertos *mutaui et in* [*u. 14 post* comicos *transposui* primorum *P* 16 ab incultu ac feris *scripsi:* in cultua conferes *P* ab incultu et feris ς ab incultis et feris *uulgo* peruentum] prolatum *P*

sunt conditae et uita mitior atque otiosa processit, ita res tragicae longe ante comicas inuentae. quamuis igitur retro prisca uoluentibus reperiatur Thespis tragoediae primus inuentor et comoediae ueteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneque esse credatur, Homerus tamen, qui fere omnis poeticae largissimus fons est, etiam his carminibus exempla praebuit et uelut quandam suorum operum legem praescripsit: qui Iliadem ad instar tragoediae, Odyssiam ad imaginem comoediae fecisse monstratur. nam post illius tale tantumque documentum ab ingeniosissimis imitatoribus et digesta sunt in ordinem et diuisa sunt ea quae etiam tum temere scribebantur adhuc impolita atque in ipsis rudimentis haut quaquam ut postea facta sunt decora atque leuia. at uero ea quae proprie de tragoedia dicenda sunt titulo propositi nunc operis instantes in alia tempora differamus et de his fabulis iam loquamur, quas Terentius imitatus est: postquam demonstrandae originis causa de utriusque generis initio diximus, quod necesse est iam dicamus.

Comoedia fere uetus ut ipsa quoque olim tragoedia simplex carmen, quemadmodum iam diximus, fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus nunc consistens nunc reuoluens gyros cum tibicine concinebat. sed primo una persona est subducta cantoribus, quae respondens *ἀμοιβαίως* id est alternis choro locupletauit uariauitque rem musicam: tum altera, tum tertia et ad postremum crescente numero per auctores diuersos personae pallae cothurni socci et ceteri ornatus atque insignia scaenicorum reperta: et ad hoc unicuique suus habitus: et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum partium tertiarumque, qui quarti loci atque quinti actores essent, distributum et diuisa quinquepartito actu est tota fabula. quae tamen in ipsis ortus sui uelut quibusdam cunabulis et uixdum incipiens *ἀρχαία κωμῳδία* et *ἐπ' ὀνόματος* dicta est: *ἀρχαία* idcirco quia † nobis pronuper cognitis uitiis est, *ἐπ' ὀνόματος* autem quia inest in ea uelut historica fides uerae narrationis

---

1 et *om* ς 2 igitur *om* (ς) uolentibus *P* thesphis *P* 3 gratino *P* aristofaneque P 5 quandam suorum operum legem *Schopenus:* quadam suorum operum lege ς quadam suam operum lege *P* idiadem *P* ad *om* ς 6 odissiam *P* 7 et *ante* digesta *om* (ς) 9 lenia P at uero *scripsi:* adeo ut P ς at nos *uulgo* quae *om* ς propria ς 10 de titulo ς nunc *om* ς operisue ς instantis ς 14 nunc consistens *om* ς 15 concinebant (ς) subducta est ς 16 *ἀμοιβαίως* id est alternis *Schopenus:* alternis id est *P* alternis *sequitur lacuna* (ς) 17 actores *P* ς 18 coturni *P* scenicet repetita *P* 19 partium *post* secundarum *om* ς et tertiarum (ς) qui *om P* ς 20 quartique (ς) qui quartarum *uulgo* quinti *scripsi:* quintarum *P* ς auctores *P* distributa ς quinquepartito actu *scripsi:* quinquepartito actum *P* quinquepartita acta ς 21 incunabulis ς 22 *ἀρχαία . . . ἐπ' ὀνόματος om lac rel* ς *ἐπ' ὀνόματος Schopenus:* EPONOMATOC *P ἐπώνυμος uel ἐπώνιος uulgo: sic etiam infra* archea *P* Archaea ς 22 *sq.* quia amotis parumque cognitis initiis orta est *Schopenus* quia est de nobis parum cognitis uitiis *uulgo* parumper (ς) pronuper *uel* peruuper *libri mss rec* 23 est *om* ς Eronomatos *P om lac rel* ς aut ς istorica *P*

et denominatio ciuium, de quibus libere describebatur. etenim per priscos poetas non ut nunc ficta penitus argumenta sed res gestae a ciuibus palam cum eorum saepe qui gesserant nomine decantabantur: idque ipsum suo tempore moribus multum profuit ciuitatis, cum unusquisque caueret culpam, ne spectaculo ceteris extitisset et domestico probro. sed cum poetae licentius abuti stilo et passim laedere ex libidine coepissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame componeret lata lege siluere. et hinc deinde aliud genus fabulae id est satira sumpsit exordium, quae a satyris, quos inlotos semper ac petulantes deos scimus esse, uocitata est: etsi ** aliunde nomen praue putant. haec satira igitur eiusmodi fuit, ut in ea quamuis duro et uelut agresti ioco de uitiis ciuium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. quod item genus comoediae multis offuit poetis, cum in suspicionem potentibus ciuibus uenissent, illorum facta descripsisse in peius ac deformasse genus stilo carminis. quod primus Lucilius nouo conscripsit modo, ut poesin inde fecisset id est unius carminis plurimos libros. hoc igitur quod supra diximus malo coacti omittere satiram aliud genus carminis *νέαν κωμῳδίαν* hoc est nouam comoediam reperere poetae, quae argumento communi magis et generaliter ad omnes homines qui mediocribus fortunis agunt pertineret et minus amaritudinis spectatoribus et eadem opera multum delectationis afferret concinna argumento consuetudini congrua utilis sententiis grata salibus apta metro. ut igitur superiores illae suis quaeque celebrantur auctoribus, ita haec *νέα κωμῳδία* cum multorum ante ac postea tum praecipue Menandri Terentiique est. de qua cum multa dicenda sint, sat erit tamen uelut admonendi lectoris causa quod de arte comica in ueterum chartis retinetur exponere.

Comoedia uetus ab initio chorus fuit paulatimque personarum numero in quinque actus processit: ita paulatim uelut attrito atque extenuato choro ad nouam comoediam sic peruenit, ut in ea non modo non inducatur chorus sed ne locus quidem ullus iam relinquatur choro. nam postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus esset et

---

1 ciuium] omnium ς decerpebatur ? 2 nunc *om* ς penitus ficta ς 3 ideo (ς) id quod *libri mss rec* ipsa ς 4 ciuitatibus *P* culpa ς 5 abuti licentius ς 6 ne quisquam] nequam *P* carmen *uulgo:* crimen *P* ς infamiae ς poneret ς siluere] sanxerunt ς 7 id est *om* (ς) satyra *P* 8 inlotos] inuocis (*in mg m rec* al. inlotos) *P* *lacunam signaui: uerborum quae interciderunt primum* alii *fuisse apparet* nomen traxisse praue *uulgo* 9 putant alii (ς) *uulgo* haec quae satyra ς satyra *P* igitur] dicitur ς ueluti ς ioco] modo ς 11 multus *P* ciuium *P* 12 rescripsisse ς primo ς 13 faceret *uulgo* plures ς 14 quo *uulgo* modo *uulgo* *νέαν κωμῳδίαν om lac rel* ς 15 repperere *uulgo*: reperirentur *P* repetere ς poetae quae] poetaeque ς 17 consuetudine ς 18 igitur] dicitur ς 19 celebrabantur ς *νέα κωμῳδία om lac rel* ς ne *AN P* ante ac *Schopenus:* antehac *P* ς 21 quid (ς) in *om* ς carnis *P* retinentur *P* continetur ς 22 ut ab (ς) personarum . . . 23 paulatim *om P* 25 esset et *scripsi:* et *P* est ς

tum, cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire coepisset, admonuit poetas ut primo quidem choros tollerent locum eis relinquentes, ut Menander fecit hac de causa, non ut alii existimant alia: postremo ne locum quidem reliquerunt, quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. tum etiam Graeci prologos non habent more nostrorum [quos Latini habent]. deinde *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς* id est deos argumentis narrandis machinatos ceteri Latini ad instar Graecorum habent, Terentius non habet. ad hoc *προτατικὰ πρόσωπα* id est personas extra argumentum accersitas non facile ceteri habent: quibus Terentius saepe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. ueteres etsi ipsi quoque in metris neglegentius egerunt iambici uersus duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio uincuntur resolutione huius metri quantum potest comminuti ad imaginem prosae orationis. tum personarum leges circa habitum aetatem officium partes agendi nemo diligentius Terentio custodiuit. quin etiam solus ausus est, cum in fictis argumentis fidem ueritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cum bonae sint, et uoluptas per ipsum et causa non defit. haec cum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod et amorem retinuit, ut comoediam scriberet, et temperauit affectum, ne in tragoediam transiliret. quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto et ab Afranio et a Turpilio et multis fere magnis comicis inuenimus. illud quoque inter Terentianas uirtutes mirabile, quod eius fabulae eo sunt temperamento, ut neque extumescant ad tragicam celsitudinem neque abiciantur ad mimicam uilitatem. adde quod nihil abstrusum ab eo ponitur aut quod ab historicis requirendum sit, quod saepius Plautus facit et eo est obscurior multis locis. adde quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam non aut cauerit aut curauerit quae obesse potuerunt, quodque media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum

---

1 tunc ς actores ς auctoribus ς transiebat *P, libri mss rec* cum surgere ς adire ς 2 ut *om* (ς) tollerent *om* ς praetermittere *uulgo* eis *uulgo:* eius *P* ς 3 existimant alia: postremo] existimant alii in proscenio ς 4 tum *uulgo:* cum *P* ς 5 quos Latini habent *seclusi* *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς om* (ς) *ANω P* 6 id est] et (ς) ad *om* ς 7 *προτατικὰ uulgo:* protastica *P* prostatica (ς) prosopha (ς) id est] et (ς) 10 egerunt] usi sunt ς 12 aterentio *P* 13 cum *om* ς cum fidem ς 14 praescriptura *P* 15 cum *Schopenus:* cur *P* ς causam *P* defit *Schopenus:* desit *P* ς tificiosissima *P* 16 illis *P* amorem *scripsi:* morem *P* ς 17 quod] quam *P* 18 munirie *P* a Turpilio *scripsi:* appio *P* Accio ς Atta *Neukirchius* Attilio *Welckerus* a Caecilio *Vsenerus* 19 inueniemus (ς) inter] in ς 20 temperamentu extuam escant *P* extimescant (ς) 21 mimicam] histrionicam ς uilitatem *om* ς ab aut *P* quod *om* *P* 22 fecit (ς) multis] in pluribus ς (pluribus in *libri mss rec*) 23 atque (ς) nusquam claudicarit aut errauerit ς 24 quodque] tum quod ς

alteri sed aptum ex se totum et uno corpore uideatur esse compositum. illud quoque mirabile in eo, primo quod non ita miscet quatuor personas, ut obscura sit earum distinctio. et item quod nihil ad populum facit actorem uelut extra comoediam loqui: quod uitium Plauti frequentissimum. illud etiam inter cetera eius laude dignum uidetur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae quinque binos adulescentes habent.

Illud uero tenendum est, post νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protulisse: ut togatas ab scaenicis atque argumentis Latinis, praetextatas a dignitate personarum tragicarum ex Latina historia, Attellanas a ciuitate Campaniae, ubi actitatae sunt primae, Rhinthonicas ab auctoris nomine, tabernarias ab humilitate argumenti ac stili, mimos ab diuturna imitatione uilium rerum ac leuium personarum. inter tragoediam autem et comoediam cum multa tum inprimis hoc distat, quod in comoedia mediocres fortunae hominum, parui impetus [pericula] laetique sunt exitus actionum: at in tragoedia omnia contra, ingentes personae, magni timores, exitus funesti habentur; et illic prima turbulenta tranquilla ultima: in tragoedia contrario ordine res aguntur; tum quod in tragoedia fugienda uita, in comoedia capessenda exprimitur; postremo quod omnis comoedia de fictis est argumentis, tragoedia saepe de historica fide petitur.

Latinae fabulae primo a Liuio Andronico scriptae sunt, adeo cuncta re etiam tum recenti ut idem poeta et actor suarum fabularum fuisset. comoediae autem motoriae sunt aut statariae aut mixtae: motoriae turbulentae, statariae quietiores, mixtae ex utroque actu consistentes. comoedia per quatuor partes diuiditur, prologum protasin epitasin catastrophen. est prologus uelut praefatio quaedam fabulae: in quo solo licet praeter argumentum aliquid ad populum uel ex poetae uel ex ipsius fabulae uel ex actoris

---

1 ex *uulgo*: et ex *P* ς 2 in eo primo, quod *uulgo* personas quatuor ς 3 auctorem *P* extra comoediam *Schopenus:* ex tragoedia *P* ς 4 frequentissimum est ς digna *ex* dignam *ut uidetur P* digna *libri mss rec* 5 ex] et ς 6 exchyra *P* unius Pamphili amor est] scribit Pamphili amorem ς adhulescentes *P* adolescentulos ς 7 post *om* (ς) νέαν κωμῳδίαν] ne *sequitur lacuna* ς (*libri mss rec* ne etomo *uel* ne etonio *cum lacuna*) comͦe *ΔIAN P* 8 et ut ς a ς scenicis P pretextatas *P* ad dignitatem ς 9 ex] et ς 10 primae *scripsi:* plurimae *P* ς rinthonicas *P* auctoris *G. I. Vossius:* actoris *P* ς ac] et (ς) 11 minimos *P* mimmos ς diurna ς ac] et (ς) 12 cum] tum (ς) 13 pericula *seclusi* periculaque (ς) laeiq. *P* 14 contraria ς turbulenta prima ς 15 contraria *P* 18 *sq.* adeo cuncta re etiam tum recenti ut *Schopenus:* ad cunctas res etiam tum recentius ς adeo ut ad has res etiam tum recentes *P* 19 fabularum suarum ς 20 stratariae *ante* aut *P* 21 prothesim (ς) 22 strophen *P* prologus est ς 23 poeta *P* fabula *P* ex *om P*

commodo loqui. protasis primus actus initiumque est dramatis, epitasis incrementum processusque turbarum ac totius ut ita dixerim nodus erroris, catastrophe conuersio rerum est ad iucundos exitus patefacta cunctis cognitione gestorum.

Comoedia est fabula diuersa instituta continens affectuum ciuilium ac priuatorum, quibus discitur quid sit in uita utile, quid contra euitandum. hanc Graeci sic definiere: *κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων περιοχὴ ακίνδυνος.* comoediam esse Cicero ait imitationem uitae, speculum consuetudinis, imaginem ueritatis. comoediae autem a more antiquo dictae, quia in uicis huiusmodi carmina initio agebantur apud Graecos, ut in Italia compitaliciis ludicris, admixto pronuntiationis modulo, quo dum actus commutantur populus attinebatur: *ἀπὸ τῆς κώμης,* hoc est ab actu uitae hominum qui in uicis habitent ob mediocritatem fortunarum, non in aulis regiis, ut sunt personae tragicae. comoedia autem, quia poema sub imitatione uitae atque morum similitudine compositum est, in gestu et pronuntiatione consistit. comoediam apud Graecos dubium est quis primus inuenerit, apud Romanos certum: et comoediam et tragoediam et togatam primus Liuius Andronicus repperit aitque esse comoediam cotidianae uitae speculum. nec iniuria. nam ut intenti speculo ueritatis liniamenta facile per imaginem colligimus, ita lectione comoediae imitationem uitae consuetudinisque non aegerrime animaduertimus. huius autem originis ratio ab exteris ciuitatibus moribusque prouenit. Athenienses namque Atticam custodientes elegantiam, cum uellent male uiuentes notare, in uicos et compita ex omnibus locis laeti alacresque ueniebant ibique cum nominibus singulorum uitia publicabant, unde nomen compositum, ut comoedia uocaretur. haec autem carmina in pratis mollibus primum agebantur. nec deerant praemia quibus ad scribendum doctorum prouocarentur ingenia: sed et actoribus munera offerebantur, quo libentius iucundo uocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. caper namque pro dono his dabatur, quia animal uitibus noxium habebatur, a quo etiam tragoediae nomen exortum est.

---

1 prothasis *P* prothesis (ς) est actus (actus est *libri mss rec*) initiumque ς 2 nodus *Pithoeus:* modus *P* ς motus *uulgo* 3 iundos *P* 4 De comoedia. Comoedia *P* constituta ς affectum ς affectuumque *uulgo* 5 quibus] qua ς diffiniere ς 6 *κωμῳδία . . . ἀκίνδυνος om lac rel* ς comodia est in *P* *ἰδιωτικῶν . . . πραγμάτων om P* *ΠΗΡΙΟΧΗΑΚΙΝΑΙΝΟC; P* 7 Cicero] *de rep. fr. IV 11* imaginem *om P* 8 a *om* ς 9 compitalicis *P* ς 10 detinebatur ς *ἀπὸ τῆς κώμης*] aut *sequitur lacuna* ς *ἀπὸ*] *ΑΠω P* 11 habitabant ς 12 uero ς qui *P* imitationem *P* adque *P* morum *om* ς similitudinem *P* 13 est *om* ς gesti *P* comoedia ς 14 inuenerit primus ς Latinos ς certum est ς trogatam *P* et togatam *seclusit Schopenus* 15 primo ς Liuium Andronicum reperisse qui ait comoediam esse ς 16 imagines (ς) 17 egerrime *P* 18 peruenit *P* 20 hominibus (ς) 22 primitus in pratis mollibus ς 24 caper nam P^1 nam caper P^2 is (ς) 25 uitibus noxium animal ς

nonnulli autem ex amurca, olei faece, quae est humor aquatilis, tragoediam dici uocarique maluerunt. qui lusus cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi comoediarum tragoediarumque scriptores huius dei uelut praesens numen colere uenerarique coeperunt. cuius rei probabilis ratio extitit. ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes eius et facta gloriosa celebrari proferrique constaret: tum paulatim fama huius artis increbruit. Thespis autem primus haec scripta in omnium notitiam protulit. postea Aeschylus sequitur prioris exemplum *** publicauit: de quibus ita Horatius in arte poetica loquitur:

ignotum tragicae genus inuenisse Camenae
dicitur et plaustris uexisse poemata Thespis,
quae canerent agerentque peruncti faecibus ora.
post hunc personae pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instrauit pulpita tignis
et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
successit uetus his comoedia non sine multa
laude: sed in uitium libertas excidit et uim
dignam lege regi. lex est accepta chorusque
turpiter obticuit sublato iure nocendi.
nil intemptatum nostri liquere poetae:
nec minimum meruere decus uestigia Graeca
ausi deserere et celebrare domestica facta,
uel qui praetextas uel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est: eius duae primae partes tragoedia et comoedia. tragoedia, si Latina argumentatio sit, praetexta dicitur. comoedia autem multas species habet. aut enim palliata est aut togata aut tabernaria aut Attellana aut mimus aut Rhinthonica aut planipedia. planipedia autem dicta ob humilitatem argumenti eius ac uilitatem actorum, qui non cothurno aut socco nituntur in scaena aut pulpito sed plano pede: uel ideo quod non ea negotia continet, quae personarum in turribus aut in cenaculis habitantium sunt

8,25 tragoediae . . . 2 etiam *om P* qui lusus ς (quibus *libri mss rec*) qui ludi *uulgo* 3 tragoediarum *P* diei *P* praesens] patris *uulgo* 4 praeferebantur (ς) 7 echilus *P* secutus ς *lacunam signaui* Horatius in arte poetica] 275 *sqq.* 10 exisse *P* 11 fecibus *P* 13 heschilus *P* intrauit (ς) 14 nitique quia coturno *P* 15 sint (ς) 16 et uim] ex ium *P* 18 locendi *P* 19 interpretatum *P* 23 partes sunt ς tragoedia *add Franckius* tragoedia, si Graeca argumentatio, crepidata; *add Reuuensius* 24 latini (ς) praetextata ς 25 rinthonica *P* 27 coturno *P* utuntur ς aut pulpito . . . 28 in cena- *om P* sunt *om P*

sed in plano atque in humili loco. personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius Faliscus, tragoediam Minucius Prothymus. omnium autem comoediarum inscripta ex quatuor rebus omnino sumuntur, nomine loco facto euentu: nomine, ut Phormio [Hecyra] Gurgulio Epidicus; loco, ut Andria Leucadia Brundisini; facto, ut Eunuchus Asinaria Captiui; euentu, ut Commorientes Crimen Heauton timorumenos. comoediarum formae sunt tres: palliatae Graecum habitum referentes [quas nonnulli tabernarias uocant]: togatae iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes: Attellanae salibus et iocis compositae, quae in se non habent nisi uetustam elegantiam. comoedia autem diuiditur in quatuor partes, prologum protasin epitasin catastrophen. prologus est prima dictio, a Graecis dicta *πρῶτος λόγος*, id est antecedens ueram fabulae compositionem elocutio: eius species sunt quatuor: *συστατικὸς*, commendaticius, quo poeta uel fabula commendatur, *ἐπιτιμητικὸς* **, relatiuus, quo aut aduersario maledicitur aut populo gratiae referuntur, *δραματικὸς*, argumentatiuus, exponens fabulae argumentum, *μικτὸς*, mixtus, omnia haec in se continens. inter prologum et prologium quidam hoc interesse uoluerunt, quod prologus est, ubi aut poeta excusatur aut fabula commendatur, prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. protasis est primus actus fabulae, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenendam, epitasis inuolutio argumenti, cuius elegantia conectitur, catastrophe explicatio fabulae, per quam euentus eius approbatur.

---

1 atque in] et ς Cincius et *P* ς et *del Wolffius* 2 falisius *P* Minucius et *P* ς et *del Wolffius* prothimus (t *expunctum esse uidetur*) *P* Prothonius ς inscripta *Schopenus*: scripta *P* ς 3 Hecyra *seclusit Schopenus* 4 Brundisini *scripsi*: brundiạfinia *P* Brundusịna ς 5 ut *add Schopenus* Crimen] Adelphi *uulgo* heautontimorumenon (ς) 6 quas . . . uocant *seclusi: transposuit Reuuensius post* desiderantes 7 salibus *uulgo*: saltibus *P* ς 8 uetustam elegantiam (ς): uetustatum elegantias *P* 9 protesin (ς) 10 *πρῶτος λόγος om lac rel* ς *πρόλογος uulgo* *ΛΟΓΟC P* id est . . . elocutio *om P* 11 quatuor sunt ς *συστατικος* ς *CΥΝΤΑΤΙRΟC P* commendatius *P* fabula uel poeta ς 12 *ἐπιτιμητικὸς Pithoeus: ΕΠΙΤΙΝΗΤΙΚΟC P om lac rel* ς *ἀναφορικὸς uulgo lacunam signaui: ἢ ἐυχαριστητικὸς uel similia intercidisse uidentur* relatiuus (ς): Relatus *P* maledicitur *scripsi*: maledictum *P* maledicta ς gratiae populo ς 13 *δραματικὸς Pithoeus: ΔΡΑΜΑΤΙRΟC P om lac rel* ς *ὑποθετικὸς uulgo* fabulae argumentum exponens (ς) *μικτος* ς *ΜΙRΤΟC P* 14 soluerunt *P* quia ς 15 ubi . . . commendatur] uelut praefatio quaedam fabulae, in quo solo scilicet praeter argumentum aliquid ad populum uel ex poeta uel ex ipsius fabulae uel actoris commodo loquitur *uulgo: interpolata sunt ex iis quae supra* 7,22 *sqq. posita sunt cf. Schopenus mus. Rhen.* 1828 *p.* 155 16 dicitur *uulgo*: diducitur *P* deducitur ς Protesis (ς) actus initiumque dramatis, quo *uulgo: uide supra* 8,1 17 *sq.* Epitasis est incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe est conuersio rerum ad iocundos exitus patefacta cunctis cognitione gestorum *uulgo: uide supra* 8,1 *sqq.* 18 katastrofe *P* approperatur *Schopenus*

In plerisque fabulis priora ponebantur ipsarum nomina quam poetarum, in nonnullis poetarum quam fabularum. cuius moris diuersitatem antiquitas probat. nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur antequam poetae pronuntiaretur, ne aliqua inuidia ab scribendo deterreri posset. cum autem per editionem multarum poetae iam esset auctoritas adquisita, rursus priora nomina poetarum proferebantur, ut per ipsorum uocabula fabulis attentio adquireretur. actas diuersis ludis manifestum est inscribi. nam sunt ludorum species quatuor, quos curules aediles munere publico curant: Megalenses, magnis dis consecrati, quos Graeci μεγάλους σιοὺς appellant; funebres, ad attinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii uiri plene instruitur; plebei, qui pro salute plebis eduntur; Apollinares, Apollini consecrati.

In scaena duae arae poni solebant, dextera Liberi, sinistra eius dei, cui ludi fiebant, unde Terentius in Andria ait 'ex ara sume hinc u. tibi'.

Vlixen pilleatum semper inducunt, siue quod aliquando insaniam simulauit, quo tempore tectum se esse uoluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire, seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. huius enim uiri astutiis erat omnis semper decipiens ingenium. nonnulli Ithacae incolas sicut Locros pilleatos fuisse commemorant. Achillis siue Neoptolemi personae diademata habent, quamvis numquam regalia sceptra tenuerunt: cuius argumenti probatio talis inducitur, quod numquam cum reliqua Graeciae iuuentute ad gerenda cum Troianis bella sacramenta coniurationis inierunt nec umquam sub Agamemnonis imperio fuerunt. comicis senibus candidus uestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur; adulescentibus discolor attribuitur. serui comici amictu exiguo teguntur paupertatis antiquae gratia uel quo expeditiores agant. parasiti cum intortis palliis ueniunt. laeto uestitus candidus, aerumnoso obsoletus, purpureus diuiti, pauperi phoenicius datur. militi chlamys, puellae habitus peregrinus

---

1 ipsarum nomina priora ponebantur ς 2 modis *P* 3 ipsa *P* 4 a ς 5 poetarum nomina ς ipsarum (ς) 7 ludorum quatuor sunt species ς aediles] cui ules *P* * numere *P* 8 *μεγάλους σιοὺς Muretus: ΜΕΠΟΥCΙΟΥC P om lac rel* ς *μεγαλεσίους uulgo* retinendum (ς) 9 patricii uiri] patri iuri *P* 10 luduntur ς appollinares *P* 11 diei *P* 12 Terentius in Andria] 4, 3, 11 ara mi sume *P* hinc u. (*id est* uerbenas) tibi *scripsi:* hinc Ubi *P* uerbenas. Hinc (ς) uerbenas hinc ubi *libri mss rec* 13 palliatum ς 15 sociis] secus *P* uiri astutiis *scripsi:* uirtutis *P* ς 16 omnis *scripsi:* animi *P* ς decipiens *scripsi:* decipientis *P* ς palliatos ς 17 siue Neoptolemi] sine optolomi *P* persona *P* 18 regalia sceptra nunquam ς tenuerint *uulgo* 21 adolescentulis ς 22 conteguntur ς 23 erumpnoso *P* absoletus (ς) 24 foenicius *P* clamis *P* chlamis purpurea ς puella *P*

inducitur. leno pallio colore uario utitur; meretricibus autem ricinium luteum datur. syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quae res ab Ionica luxuria instituta est: eadem in luctuosis personis incuriam sui per neglegentiam significant. aulaea quoque in scaena intexta sternuntur, quod pictus ornatus ex Attalica regia Romam usque perlatus est. pro quibus siparia aetas posterior accepit: est autem minutum uelum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur.

Diuerbia histriones pronuntiabant. cantica uero temperabantur modis non a poeta sed a perito artis musicae factis. neque enim omnia isdem modis in uno cantico agebantur: saepe mutati sunt, ut significant, qui tres notas M. M. C. in comoediis ponunt [qui tres continent mutatos modos cantici]. eius qui modos faciebat nomen in principio fabulae ut et scriptoris et actoris superponebatur. huiusmodi carmina ad tibias fiebant, ut his auditis multi ex populo ante dicerent, quam fabulam acturi scaenici essent, quam omnino spectatoribus ipsius antecedens titulus pronuntiaretur. agebantur autem tibiis paribus et inparibus, id est dextris aut sinistris **. dextrae autem tibiae sua grauitate seriam comoediae dictionem praenuntiabant; sinistrae [Serranae] acuminis leuitate iocum in comoedia ostendebant; ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mixtim ioci et grauitates denuntiabantur.

---

